



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Constitvtiones Societatis Iesv

Ignacio <de Loyola>

Romae, 1570

De Libera Ad Hanc vel illam partem profectone. Cap. III.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68489](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68489)

*sed etiã personis, (quod consilio, & instructione
prout vnusquisq; indigeant) id magis exigit.
vel animari, vel
reprimi opus habet, perutile esse poterit : & sic de alijs
intelligatur.*

DE LIBERA AD HANC

vel illam partem profectioe.

Cap. III.

1 **Q**VAMVIS eorum sit, qui sub obedientia So-
cietatis viuunt, se non ingerere directè vel in-
directè ad sui missionem, siue a summo Pontifice,
siue à suo Superiore i nomine Domini nostri IESU
Christi mittantur: qui tamen ad regionem aliquam
magnã (cuiusmodi esset India, vel aliã Prouinciã)
missus esset, si pars eius aliqua peculiari limitatione
ei assignata nõ fuerit, potest magis, & minus in hoc
vel in illo loco immorari, aut discurrere quãcunq;
omnibus perpensis (in se, quod ad voluntatem suã
attinet, indifferentiam sentiendo) & oratione facta,
iudicauerit ad Dei gloriam magis expedire. Hinc
apparet quod (primã & summã obedientiã summi
Pontificis non repugnando) multo magis in huius-
modi missionibus Superiori ad hãc partem potius,
quã ad illam, prout in Domino senserit conueni-
re, eosdem dirigere licebit.

2 Vbicunq; quis maneat, si non est ei iniunctum,
vt medio aliquo limitato vtatur; quale esset, legere,

M iiii vcl

IN CAPVT
III.

A **Q** *Vāuis*
hoc ita
se habeat ; tamen
conferre media ,
quibus vti debet
cum eo Superiore , qui ei propior fuerit , semper erit se-
curius .

vel prædicare ; in eo se exercebit
ex ijs , quibus vtitur Societas
in quarta Parte capite octauo di-
ctis, & proximo capite dicendis,
* quod magis conuenire iudica-
bit ; atq; etiã quod in sexta parte
deuitandum dicitur, ad maius
Dei obsequium etiam deuitabit.

A

QVIBVS IN REBVS DOMVS
& Collegia Societatis proximum
adiuuent. Cap. IIII.

Q **V** **I** **A** non solùm enititur Societas discurrendo
per varia loca, sed etiam in quibusdam conti-
nenter residendo (vt in Domibus, & Collegijs)
proximos iuuare : operæpretium est intellexisse,
quibus modis possint animæ in huiusmodi locis iu-
uari ; vt eorum pars illa, quæ poterit, ad gloriam
Dei exerceatur.

Et primò quidem conferet bonum exemplum to-
tius honestatis ac virtutis Christianæ ; vt nõ minus
bonis operibus, imò magis, quàm verbis eis ædifi-
cationi esse, quibus cum agitur, curent.

Iuuatur etiam proximus sanctis desiderijs, & o-
rationibus in Dei cõspectu pro vniuersa Ecclesia, ac
* pro